

non petit per se loquendo terminum productum, ad quod ordinetur tamquam causalitas, et via, sed solum petit terminum ut objectum circa quod versetur, de se autem actus ultimus, in quo ultimate perficitur ipse intelligens, si quidem ultima perfectio intelligentis non consistit in hoc, quod producat effectus, sed in eo quod ipse constituatur in actu secundo intelligens, qua ratione dixit D. Thomas infra quæst. xxxiv, art. ii ad ii: « Quod intelligere se habet ad intellectum in actu, sicut esse ad ens actu, non enim intelligere significat actionem ab intellectu exeuntem, sed in intellectu manentem. » Ubi satis insinuat D. Thomas quod operatio immanens in ipsa formali ratione operationis immanens est, non solum ratione sui effectus, quia scilicet producit aliquem effectum qui maneat in agente, sed quia in ipsa ratione actionis immanens est in operante, id est, ordinatur præcise ad perficiendum operans, et constituendo ipsum in actu ultimo circa objectum cognitum, non ad perficiendum effectum, qui sit procedens ab ipso operante, et sic sit extra illud. Si enim utraque actio transiens, et immanens se habent ut via, et tendentia ad effectum tamquam ad terminum, et solum differunt, quia terminus unius ponitur in ipso operante, alterius autem extra, valde accidentaliter, et materialiter differunt, non autem formalissime in ipsa ratione actionis, quia valde materiale est respectu actionis, quod ejus terminus ponatur in hoc, vel illo subjecto, si ipsa in se non est aliud quam via, et causalitas ad talem terminum. Quæ omnia loco citato late tractata sunt. Et ad argumentum, quod si illa intellectio est qualitas, supponit aliquam actionem, et aliquod fieri, per quod producat, cum sit qualitas

in facto esse, respondimus ibidem, quod qualitas, quæ est actus secundus non indiget alia actione, qua producat, sed solum emanat ab operante sine alia causalitate distincta a se, sicut dimanat actio, quæ est mera, et sola causalitas non per aliam actionem, sed per se ipsam, eo quod est actus secundus formaliter agentis. Similiter ergo illa operatio, quæ est qualitas, quia virtualiter, et eminenter actio est, si quidem per modum actus secundi comparatur ad intelligentem, non per aliam actionem priorem egreditur, sed per se ipsam, sed quia non est operatio, et actus secundus imperfectus, id est, per modum viæ, et motus tendens ad aliquem effectum, quo producto cesset, sed potius se habet tamquam ultima perfectio ipsius intelligentis, ad quam ordinatur quicumque alius effectus, si quis intra intellectum producat, ad hoc enim datur ut possit plene, et perfecte intelligere, et producto verbo contemplari sine productione alterius verbi per illam contemplationem facta, ideo talis operatio per modum qualitatis se habet ut res manens non per modum viæ, et transitus ad terminum, sicut actio de prædicamento actionis.

XXV. Et cum instatur, quia si illa intellectio qualitas est sic perficiens intellectum in actu ultimo, quomodo distinguitur a verbo, vel ad quid necesse est ponere istas duas qualitates, scilicet intellectiōnem et verbum, respondetur, distingui verbum ab intellectu, sicut expresse distinguitur a Div. Thoma quæstione octava de potentia, articulo primo, et quæstione nona de potentia, articulo quinto, ut ostendimus loco citato de anima, quia verbum, seu species expressa se tenet ex parte objecti, tamquam imago repræsentativa illius, ut per

modum termini intellecti objectum maneat intra potentiam, quod non potest per se ipsum entitative facere, sed per repræsentationem intentionalem, nec sufficit per modum speciei impressæ poni intra intellectum, quia species impressa solum repræsentat objectum per modum principii contingentis objectum potentiæ, ut eliciat intellectiōnem, et sic non repræsentat objectum cognitioni, ut terminetur ad ipsum, sed objectum reddit præsens potentiæ ante cognitionem, ut eliciat illam. Sic ergo verbum requiritur, ut aliquid vicarium, et repræsentativum objecti, ut terminus est cognitionis intra potentiam, intra quam cognitio terminari debet, sicut contingit in potentiis spiritualibus, et quæ possunt cognoscere res in absentia, ut docet Sanctus Thomas i contra gent. cap. lxxx, in his enim terminari non potest cognitio ad objectum nisi prout intra potentiam formatum in esse intelligibili spirituali, vel imaginabili tamquam in imagine. Cæterum intellectio ipsa non se habet, ut objectum terminans, seu imago repræsentans illud, sed ut attingentia vitalis, et actus elicitus a potentia, quo tale objectum attingit, et cognoscit. Et ita videmus, quod in divinis datur Verbum, quod est imago dicta et producta, et præterea datur cognitio essentialis, quæ non est imago, ut patet in Spiritu Sancto, et in Patre: ergo in creaturis distinctum quid est intellectio, ut contemplatio, et attingentia cognoscitiva ab ipso verbo, quod est imago, et repræsentatio objecti, in qua a contemplatione, et cognitione attingitur, et sic sunt distincta munera, petuntque distinctas qualitates, eo quod una est repræsentativa, et non alia, et una procedit ab alia, scilicet verbum ab intellectu, ut dictio est. Et nihilominus intellectio

non est actio formaliter, sed actus secundus per modum qualitatis, quæ virtualiter est actio, eo quod non habet imperfectionem viæ, et tendentiæ per modum motus, sed finis, et ultimi actus, qui propter se quæritur non propter effectum aliquem.

XXVI. Nihilominus, quia aliqui existimant intellectuonem in beatis, et sic non producat verbum, quod sit imago repræsentativa, tamen producere unionem intellectus cum essentia divina, ut cum specie expressa, quod refutavimus in loco citato de anima, art. ii, in solutione ad iii, dicendum est, quod illa intellectio non est productiva unionis realis essentiæ divinæ cum intellectu, sed solum dicitur unire objectum apprehensione illud attingendo non unione reali essentiæ, sicut postquam a nobis formatum est verbum, et productum in mente, contemplatio, quæ in illo cognoscit objectum non unit verbum intellectui unione reali, et entitativa, sed solum apprehendit objectum contemplando. Ratio autem hujus est, quia realis unio essentiæ divinæ ad intellectum a solo Deo effective potest fieri. Nulla autem creatura tamquam causa principalis potest talem unionem facere, cum extremum illud, quod est essentia divina excedat in infinitum omnem actionem creaturæ, ut ex vi illius possit reddi unita ipsi; sicut patet in unione humanitatis ad Verbum, et intellectus ad essentiam divinam in ratione speciei impressæ. Solum ergo intellectio beati in Verbo sibi unito contemplatur, et contemplatione ipsa dicitur apprehendere, seu unire apprehensive objectum, non vero realiter ipsum Verbum. Videantur aliæ rationes citato loco de anima.

XXVII. Ad primam confirmationem respondetur in beatis dari for-

malem notitiam elicitam, quæ est intellectio, formalis vero notitia, quæ est repræsentatio, seu conceptus non datur in beatis, ut formata, et producta ab ipsis, sed unita, et communicata, scilicet divina essentia loco speciei expressæ. Similiter dicitur trahere ad objectum, non mediante repræsentatione creata a se producta, sed increata sibi unita et per elicentiam intellectionis, quia in Verbo sic unito contempletur. Loqui autem non potest beatus secundum visionem illam per Verbum a se productum, neque sibi, quia sufficienter sibi manifestatur per essentiam divinam sibi unitam, et quidquid sibi loqui potest in illo Verbo sibi unito repræsentatum habet, et alias repræsentatio illa creata est impossibilis. Neque alteri, quia si posset alteri manifestare, et loqui intra ipsam visionem essentiæ divinæ, posset aliquid alteri manifestare in essentia divina per locutionem, quod antea non erat manifestatum, quod esset augere visionem ipsius, quod est impossibile. Si ergo beatus loquitur alteri de his, quæ in Deo videt, solum erit formando aliquas similitudines extra Verbum in proprio genere, et sic loqui poterit alteri. Sed hoc non est formare Verbum de ipsa essentia divina in se ipsa, et intra visionem beatam, sed extra in aliquo effectu creato.

XXVIII. Ad secundam confirmationem, respondimus citato loco de anima; et dicimus, quod verbum est terminus vitalis procedens, et formatum ab aliquo tamquam effectus ejus vitalis. Deus autem cum supplet hoc verbum in beatis non facit, neque supplet ut Verbum divinum dicatur procedens, et locutum ab ipso beato, hoc enim est impossibile; sed solum supplet, quod hoc Verbum divinum dicatur repræsentare objectum huic intellectui per

modum termini repræsentativi, non per modum termini procedentis ab isto intellectu. Et licet in se sit terminus vitalis, et vitaliter repræsentans, non tamen ut procedens vitaliter ab isto, cui communicatur, et unitur, sed ut in Deo vitaliter existens, et huic intellectui vitaliter intelligenti applicatum, et communicatum in tempore, sicut si Deus conceptum ab uno vitaliter productum, alterius intellectui uniret, et circa ipsum sic unitum cognitionem eliceret, talis diceretur habere in se terminum vitalem non vitaliter a se procedentem, sed sibi repræsentantem cum ab alio processerit.

DISPUTATIO XIV.

DE LUMINE GLORIÆ.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ sit necessitas ponendi lumen gloriæ ad visionem beatam?

I. Generaliter loquendo requiri ad visionem beatificam lumen elevans intellectum, est res constans ex definitione Concilii Viennensis, in Clementina: Ad nostrum de hæreticis, ubi inter aliquos errores, quos damnat unus est tenoris sequentis: « Quod quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, et eo beate fruendum; » quod a Concilio damnatur tamquam error.

II. Cæterum, quid nomine luminis gloriæ elevantis intelligendum sit, cum Concilium in speciali non explicet, in varias explicationes auctores divisit, qui omnes salvare volunt locutionem Concilii genera-

lem, reducendo ad opinionem quid in particulari per lumen gloriæ intelligendum sit. Quatuor autem modis glossari potest, et intelligi quale sit hoc lumen gloriæ. Primo, nomine luminis gloriæ intelligendo visionem ipsam in actu secundo nobis a Deo communicatam, et sic elevantem intellectum ad videndum Deum, non eliciendo visionem, sed formaliter reddendo videntem per hoc quod recipiat illam a Deo. Ita indicat Scotus in IV, dist. XIV, quæst. II et in IV, dist. XLIX, quæst. XI, licet ante Concilium locutus sit. Sic autem absolute sensit Aureolus apud Capreolum in IV, dist. XLIX, quæst. IV, refutaturque a Ferrariensi III contra gent. cap. LIV, in fine. Sed tamen qui sic loquuntur non dicunt elici visionem ab intellectu beati, sed illi communicari a Deo, seu fieri a solo Deo sine alia lumine, nam si operative eliciatur ab ipso vidente, etiam lumen requiri Scotus docet. Secundo, alii per lumen gloriæ intelligunt ipsam divinam essentiam, sed hoc aliter explicavit Durandus, aliter p. Vazquez. Nam Durandus in IV, dist. XLIX, quæst. II, num. XXIV, existimavit, neque per lumen habituale, neque per speciem impressam, neque per concursus Dei elevari intellectum ad videndum Deum, sed per hoc quod divina essentia immediate se manifestat intellectui, et immutat ipsum ordinem intelligendi, quia cum intellectus naturaliter ex effectibus intelligat Deum, ibi sine effectibus immediate intendit in essentiam divinam. At vero p. Vazquez hic disp. XLIII, c. III, censet superfluere lumen gloriæ per modum habitus, seu virtutis intellectum perficiens si loco speciei unitur ipsa essentia divina. Si vero datur lumen gloriæ sentit dari loco speciei, et tunc non uniri essentiam divinam. Tertio, aliqui nomine lu-

minis gloriæ intelligunt aliquid confortans intellectum per modum auxilii, et concursus, ut de aliquibus refert m. Soto in IV, dist. XLIX, q. II, artic. IV. Quarto, alii nomine luminis gloriæ intelligunt aliquam virtutem per modum habitus permanentis quo confortetur intellectus ad eliciendam visionem supernaturalem et hæc virtus datur habitualiter, et per modum permanentis in patria, quando aliquis redditur beatus simpliciter, potest tamen aliquando dari per modum transeuntis sicut in sententia, quod aliqui in hac vita viderunt divinam essentiam sicut dicitur de Moyse, et Paulo; ipsi enim non habuerunt visionem, et lumen gloriæ in statu perpetuo, et permanenti, sicut requiritur ad beatitudinem. Et hanc intelligentiam sequuntur communiter Thomistæ, et est sine dubio D. Thomæ in hac quæstione, ar. V, et III contra gent. cap. LXIII.

III. Dicendum ergo est in primis non posse sufficienter intelligi necessitatem luminis gloriæ, dicendo, quod lumen elevans intellectum est ipsa visio divinæ essentiæ, sive creata sive infusa a Deo, et recepta in intellectu ipso passive se habente, sive increata incommunicata a Deo, et unita. Ratio est manifesta, quia beati videndo Deum vitaliter agunt, et vivunt vita æterna, quæ utique est vita intellectiva non corporea, quia Deus corporali modo non potest attingi: *Caro enim, et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Ubi est sensus formalis, quod possessio Dei, quæ est apprehensio ipsius non fit per carnem, et sanguinem. Ergo non potest visio illa esse non elicitā ab ipso intellectu. Antecedens manifestum est, quia per visionem Dei in se ipso habeatur vita æterna Joan. XVII: *Hæc est vita æterna ut cognoscant te Deum verum.* Unde negari non potest, quod beatitudo nostra